



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 20. Et ibi parate. v. 12.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

§. 20. *Et ibi parate. v. 12.*

In loco sublimi, alto, bene strato loco, uti dictum est, & ita decet nos Christum honorare, etiam si ipse non præcipiat, sicuti seruum decet astare Domino suo capite aperto, & cum mandatum accipit genuflexo, aliterue obsequium monstrare, etiam si Dominus ipse non præcipiat trunco: Adstrato mihi aperto capite, genua curuato &c. Rustici sunt qui talia præcepta vel exigunt, vel somniant. Hi ad exactorum ergastula potius pertinent, & Galeis digna ingenia consecuti sunt, non aulis & curiis adscribenda nomina. Bene autem additur nobis, etsi enim sine hominum usu Dominus noster Iesus Christus, dignus erat omni apparatu & honore templorum & altarium, iste tamen ita à Domino admissus est, ut suis vnà seruiat & plus fere, quam Domino. non enim ille indiget manu factis, sed nos, ut eius magnitudinem & dignitatem ex ditissimo ac ingeniosissimo apparatu æstimemus, dum tantas in templis opes & apparatus videmus, quantos nec Reges nec Principes habent in suis aulis.

**D**omine Deus meus accedo ad sensum tuum & iudicium Ecclesie tue, quæ te, à temporibus cænæ tuæ ultimæ magnificentissimo loco sumptuæ semper voluit magnificè in templis & sacellis coli & conseruari die ac nocte. Ecce ego pro modulo meo quoque impendi de meis rebus quæ facerent ad decorem domus tuæ. Accipe illud tam gratiose, quam benigne cænaculum grande stratum admisisti.

§. 21. *Euntes autem inuenerunt sicut dixit illis. v. 13.*

Qui missi erant, Petrus scilicet & Ioannes, ut domum & hospitem præueniente dexteritate & diligentia sua curarent ad imminentis paschatis solemnitatem agendam, euntes inuenerunt omnia sicut eis prædixerat Iesus, nempe hominem occurrentem in ciuitate & amphoram aquæ portantem, demum intrantem in eaque patrem familias paratum ad suscipiendum bonum magistrum suum cum Zachari gaudio, offerentem ei cænaculum magnum stratum & ornatum variis aulæis & lectis, &c. apparatu perquam magnifico.

**B**enedicti vos à Domino discipuli Petrus & Ioannes, vos obedistis mitenti vestro Domino, propterea & inuenistis. Magnum bonum est humilis obedientia, quæ etiam nesciens grandia patrat miracula, & ego obedientiæ & humilitati me dedam, ut merear inuenire, quæ Dominus ostendit, & promisit. Deus, in te sperantium fortitudo, adesto propitius inuocationibus nostris, & quia sine te nihil potest mortalis infirmitas: præsta auxilium gratiæ tuæ ut in exequendis mandatis tuis & voluntate tibi & actione placeamus.

G

§. 22. *Hic*